...polii Jacobi
...renus Poloniae

THRENVS POLONIAE,

AVCTORE
IACOBO TYPOTIO.

Halæ Saxonum,
TYPIS PAVLI GREBERI,
ANNO M.D.XCVIII.

SERENISSIMAE

PRINCIPI AC DOMINAE D. ANNAE PRINCIPI SVECIAE ET POLONIAE &c. Dominæ suæ Clementissimæ.

Jac. Typotius optata.

LAudationem Materteræ tuæ Divæ Annæ ad Serenis. Ser. V. mitto: ne exacta ætate mortuam, aut potius virtute immortalem, nimiùm lugeat. Est quod dolori, quod sangvini, quod humanitati debetur. Quod vbi satisfactum est: ferendum est, quod mutari non potest. Et quid tantopere ploras? cuius virtus in terris clara est, in Cælo beata? Parce tibi, parce Sponso tui amantissimo: ne cuius constantiam res secundæ non potuerunt flectere; huius animum non adversa Materteræ fortuna (nec non infelix est, quæ in cælo est) sed opinio infringat. Sed quid prudentiam tantam admoneo? & non potius clementiæ tuæ me commendo? Verna pæne sum S. C. V. Ita diu servio servitutem regiæ familiæ tuæ. Quare si quid mihi S. C. V. mandabit me satis superq; commendatum S. C. V. arbitrabor. DEVS Opt. Max. Heroici animi tui curas leniat. Holmiæ. Anno Christi 1597. Kal. Octob.

LAV-

LAVDATIO.

Divæ Annæ Reginæ antè Poloniæ & Principis Lithvaniæ.

QVANTA SVPERORVM BEATItudo sit ac felicitas: quanta Hominum miseria, gemens gaudens videre audeor, Auditores. Nam qui quod mortale, imò humanum fuit mortuum, in Regina Anna cernit: nòn potest non mecum cernere, quæ pars Reginæ erat immortalis, divina non humana, aut ipsa potius Regina, vitam vivere perennem ac beatam. Quid igitur doleo? quid me crucio? quid deniq; in capulum intuens in lacrymas solvor? Excors sim, si quod dolendum est, vobiscum, imò cum vniversa Europa, dicam an cum toto vniverso non dolerem. Mortua Regina est tot Principum, Regum, Imperatorum frutex: & cum Regina, quàm nunquam mori oportuit, regia Iagellonis familia, quæ orbem terrarum affinitate complexa est, prò dolor, vnde originem traxit, terræ redditur. O vim fati trucem & acerbam Regum eadem conditio est, quæ alicuius de plebe homuncionis. Non genus, non virtus, non opes, non honores, non fortuna, non fortunæ fastigium, diadema à morte vindicat mortalium quempiam, Mortales. Et non deplorabo in publica omnium calamitate, privatum Poloniæ luctum? Si modò privatus est, & non veriùs communis Imperato-

 ribus

ribus, Regibus, Principibus ac Dynastis gentium omnium atq; nationum. Matrē non Reginā, ea mansuetudine extitit, Polonia desiderat: Filiam non Principem, ea lenitate erat, Lithvania requirit: Sororem Austria lamentatur. Hispania non potest non affinem lugere: Gallia sororiam mæret: Dania cognatæ parentandum censet. Anglia sine lacrymis consanguineæ mortem non audiet. Superstitem Insubria Principem, Campania Reginam volebat. Quanto in luctu nunc esse existimatis? De Suecia taceo quod nobis, vobiscum omnia communia sint Poloni: & gravior sit quàm exprimi possit gemendo gemitus. Aliorum funera decoremus fletu: nostrorum Principum obitus dolorem superat & maior est lacrymis. Iacet Regina, cuius consilio stetit jamdiu hoc regnum Poloniæ & diutius etiam si stabitur, stabit. Mortua est Regina cuius beneficio vivit Polonia. & quidem sub Rege non alienigena in libertate & dignitate vivit. Et non querar vim fati duram & acerbam? Viguerunt aliæ olim Heroidesi sic enim aiunt, qui aliorum exemplo se consolantur; & vita defunctæ, mortuæ jacent. Quæ amabô. Semiramis, Livia, aliæ. Quas tu mihi commemoras? aut quas alias comminisceris? mortuas cum viva? Semiramis viro, si tamen viro nupta erat, è medio per nefas sublato, tyrannidem occupavit. Anna virum antè in thalamum non recepit, quam in regio solio collocasset. Livia à viro ad mœchum prægnans, imperij aut

aut libidinis qua nihil servilius est, caussa potius transijt. Anna non tàm socium thori, quàm regni quæsivit. Et cum vivida virtute, mortua nomina ac nisi scelere, mágna ex parte cognita, audes comparare? Meliora obsecro. Excute annales, indulge mulierum amori & laudibus, lege funebres laudationes, in quibus mentiri non est putidum: indulget quippe tùm humanitati, æmulis alienæ virtutis livor. Non reperies quã cum Anna Iagellonia, Poloniæ Regina & Principæ Lithuaniæ dignè compararis. Ausa sit aliqua imperium mortuo marito attrectare. De ea Romæ triumphatum est. successerint aliæ agnatis in regnum. Id Scelere polluerunt aut libidine & tyrannide perdiderunt. Has nominare, ne castas aures S. R. M. Domini nostri Clementissimi violem, fas non reor. tantum abest, vt cum Regina Anna ah ah mortua hoc tempore conferam. Quod æquales prætercam non odium in caussa est, ne dum metus sed omen, Cùm enim nulla sit IMPERATORVM, REGVM, aut PRINCIPVM gens paullò illustriori genere aut factis: quacum non fuerit propinquitate aut affinitate conjuncta, vt in NVPTIIS & laudatione. Neptis malo declamare; quæ tandem est in terris Regina aut Princeps, cuius debeam metuere offensam, aut cuius odium possim incurrere, in iusta comparatione? Aequalis inter æmulatio est, etiam

 sorores

forores: Vt inter Fabias T. livij, quarum altera nupserat, altera enupserat. Quin & socrus non ferunt nurus. Regia Xerxis profectò, flagitiis domesticarum potius, quam insano amore Regis conflagravit. Ea ætate erat Serenissima Regina, vt vel huius prærogativa, laudem tueri absq; invidia posit. Et ad extremam ætatem pervenit, perpetuo tenore vitæ, laudabili ac constanti, sic vt ætati minimumrelinqueret, ad comendationem, momenti. Virtutis ætate quavis, fortuna omni, magna & rara laus. At longè maior temperantiæ gloriæ est prima ætate & regia fortuna. Multis scilicet non licet, quod lubet. Quid si ad ætatis florem, & fortunæ lubidinem, sexus imbecilitas accedat? Verè Regina est, quæ hoc statu stat, nec ætate gliscit, aut fortuna labat: sed ipsa se benè & prudenter regit. Ea autem est, quæ ea non est, sed vmbra sui est, Regina Anna. Recordari Herclè mecum potestis Annæ virginis, Annæ conjugis. Annæ viduæ, ante principis, postea Reginæ. Quod non faciat ad modestiam, virtutem, pietatem, nullum dictum: quod non pertineat ad populi commoda, Reip. Vtilitatem nullum factum potestis recordari. Adulta tamen nupsit; consenuit vidua. ne alterius arbitrio magis, quàm nativa bonitate gubernata videatur. Quod si laudanda mihi harum aliqua foret quarum, decori quærendus est color; fucum vobis facerem Auditores, & vt quæ à purpurisso & cerussa venustatem quærunt, ad pigmenta Rhetorum confugerem,

rem, & in hac cereorum ac funalium luce, tenebras vobis offundere conaret. Nunc ante oculos jacet & (me miserum) jacet mortua, cujus virtus vivida, & quò minus comta, spectatior est. Nec mihi invmbranda, sed illustranda vitæ gloria est. Fer opem, in hoc orationis cursu: mi Deus: & qui me nullo vnquam in opere destitues, de serva tua, Regina nostra cupidè dicenti clemens & propitius annue. Non me fallit priscum institutum, principio laboris, invocandi Deum: & ego nisi invocato Numine, nunquam ad agendum aut scribendum accedo. Sed hic vacillo, & proclivius est lumen diei, quàm vitam Reginæ dicendo Illustrare. Qui sine Dei ope & opera, difficili loco me explicarim? Regina, cuius mortem nemo non dolet, piè Deum coluit: benignè cives fovit. Ita paucis multa sum complexus, quorum singula plurimis Regum, & Reginarum maximam gloriam compararunt. Nam quanti statuis cultum Dei? & curam populi? qui rerum pondus, verborum inaniis examinas? Qui, quæ Deum ritè colunt, his ego non mortales, at immortales, æquandos iudico. Qui, quæ, quam parentes liberorum, civium curam gerunt? his si Reges sunt, maius imperium: si sunt, regnum debetur. Maius igitur est, quod de Regina dico: quàm quod dico, & si qui vestrum non tàm plorare, quàm celebrare mortuam, in animum inducunt: Cùm dicta mea; tùm facta Reginæ in memoriam revocent. & quantum absit hoc qualecunq; dicendi genus, abs integri-

integritate vitæ regalis, cognoſcent. Sed forſim quæ à teneris ad veram virtutem appulit: & in virtutes exercitio conſenuit: nuſquam totius vitæ curriculo deflexit ab inſtituto; in vltimo actu perſonam mutavit. Vt vel animi ægritudine, vel corporis languoribus, viris & iam conſtantibus vſu eveniſſe, fando accepimus. Bona verba. Semper Dei, ſemper ſui memor, ad extremum vitæ halitum, morbi vim & mortes præſentiam conſtanter tulit. O animum virilem in corpore muliebri? Ante mortem verò quàm amanter familiæ conſuluit? quàm prudenter vltimam voluntatem. Nepoti ſuo cariſsimo Regi noſtro potentiſsimo commendavit. non ex vita excedere, ſed ex domicilio emigrare videbatur. & iam ingruente vltima neceſsitate, cernere erat, vt anticiparet animo celeſtis vitæ beatitatem. Quod ingemiſcis Potentiſsime Rex? quod eiulas Sereniſsima Regina? Dormit Matertera. non eſt mortua: & tempus erit, quo non moritura reviviſcet: Si mortuum eſt in Matertera Regina Anna, quod erat mortale, quid eiulas Sereniſsima Regina? Quid ingemiſcis Potentiſsime Rex? Ea conditione nata erat, vt ex hac vita in beatiorem illam, tanquam in portum ex tempeſtate ſe reciperet. In hac vita nihil eſt, quod non illi affatum fuit, Velletis fuiſſe diutius. at quod tandem illud eſt diu, cuius aliquod eſt extremum? Et vt rerum omnium quædam ſatietas eſt, noluit caducis diutius frui, bona appetunt æterna. Hæc adeptam quid lugemus? non enim

enim regiam tantum occupat dolor. Sed regias, vt dixi, Chriſtianorum. Quin & Barbari, ſi non planè ſunt barbari & immanes. Reginæ mortem complorabunt. Moſchi quidem & Turcæ, affinitatis quodam jure: quod Alexander Poloniæ Rex quondam contraxit forte, ne vlla eſſet in terris Monarchia expers Iagelloniæ ſocietatis & virtutis. Cæteri iura humanitatis. Nam & nos dum veterum memoriam recolimus, virtutem etiam hoſtium admiramur: & vt in Rep. noſtra renaſcantur, imprudenter quidem, ſed non inhumaniter optamus. Quamobrem dolere vos, non nolo, quod nobiſcum omnes dolent, ſed nimium dolere vetat: quæ in celis gaudet & vitam vivit hac longè beatiorem. Corpus depoſuit & querimur, quam nondùm requirit, levatum ſarcina. ſat in ſani? Miſera eſſe deſiit, querimur & lugimus. Non igitur miſeriam Reginæ ſed noſtram & miſeriam & ſolitudinem dolore proſequimur. Et quæ miſeria virtutis eſſe poteſt à corpore tanquàm ergaſtulo liberatæ? Quæ felicitas eiuſdem virtutis in hac vita hominum & temporum mille injuriis expoſitæ? Regina erat. Sed pertæſa moleſtiarum. Nepoti ceſſerat habenas. Non deerant cupediæ. Sed quibus nunquam erat delinita. Affluebant opes. Sed quarum nullus ferè, vbi iam receptui ceciniſſet, erat vſus. Quid igitur erat, quod cupiditate ſui materteram remoraretur in vita? Si tamen vita eſt, cuius finis eſt mors. Mortui Parentes

tes erant, mortuus frater, mortuæ sorores. Hos & maiores inter quos sunt, qui non solum in terris régnarunt, sed & in celo triumphant, hos, inquam, videre & cum his, DEO servire, quod vere regnare est, gestiebat. Cuius desiderio, vitæ molestias, lenire poterat, patriæ te custodem dedit & Regem reliquit. Quid amplius poterat aut volebat. Non diuturniorem crediderim vitam: quæ quò annosior eò molestior est. Cum in senecta, multa insint gravia, nihil gravius est ipsa senectute. His miserijs divinitus exemtam Lacrymamur Materteram tuam Potentissime Rex: cur non gratulamur Materteræ tuæ, Reginæ imò Divæ Annæ felicitatem potius? Virtuti enim pietas Christiana præmium statuit: & certè ante pietatem à Christo restitutum in tenebris naturæ, ratio observavit, Virtutem, quod in terris non obtinet, in celo, iustiori iudice DEO, præmium esse: qui obtigere quidem Divæ Annæ (sic enim pietatis merito posthac appelletur) ea in terris, quæ humanis mortali maxime in optatis, ut jam ante retuli. Sed virtus Fortunæ bona secum ponderanda non judicat: nedum à fortuna præmium sperat aut exspectat. DEVS est, cui se comit, cui se ostentat, cui placere vult. Atq; hinc illud est, quod Diva Anna ad fortunæ ludibria nauseare solita sit: & quemadmodum his qui navi jactantur, ad ea despernere etiam quæ vulgò Principes

pes summa & sola bona existimat. Quod non tàm tui consolandi Potentissime Rex, quàm eos muliebri exemplo instituendi caussa refero: qui nimis ea concupiscunt quæ paullo post: nam quid serum est in tanta brevitate vitæ? amissuri sunt: & quod ad vitæ vsq; terminum retinent, Forma in dies deflorescit. Robur, ubi semel invaluit, deteritur. Opes tardè pariuntur, citò amittuntur. Bona quid commemoro? quæ bonos non faciunt possessores? Cur non potius Divam Annam à contemtu fortunæ, ab appetitu non fortuiti, non fragilis, non caduci, sed æterni, veri, cælestis boni prædico? Hujus enim desiderium, à Vana cupiditate & cupida vanitate animum liberat, & jactatum perturbationibus uti procellis, restituit in tranquillitatem. Si desiderium veri Boni in hac vita, semper inquieta atq; turbulenta, tranquillitatis caussa est; ut in vita Divæ Annæ veluti in speculo apparuit? quantorum creditis bonorum caussa est Divæ Annæ! & nobis erit, si Annæ vestigia sectabimur, ipsum summum & æternum bonum? in vita, qua Diva Anna vivit, immortali? Nam illud bonum, DEVS Bonus est; cui si Regina servivit, quid nos facere oportet? Te consolor Potentissime Rex languentem desiderio, quæ non est mortua, Materteræ: non exemplo Materteræ, quam aliter, quàm Divam nominare, mihi religio est, cohortor ad virtutem.

 Non

Non enim bonorum modo Divæ Annæ, ſed virtutis omnium maiorum tuorum heres es, cum Sereniſsima Principe Anna ſorore tua dilectiſsima, quæ vt Avias refert longo ordine: ita tu Pyaſtos, Iagellones, Caſimiros, Vladislaos cùm Ianis, Guſtavis, Carolis, Ericis infinita ſucceſsione repræſentas. Quid igitur nec modum nec finem ſtatuimus dolori licet iuſto? cùm quæ mori non potuit, viuat Anima Materteræ tuæ, & quidem viuat, imò regnet in Cælitum regia, cui etiam Polonia licet ampliſsimum & florentiſsimum regnum, faſces ſubmittat, beata & immortalis. Tanta eſt Dei, quem non abs re, bonum dicebam, bonitas: Vt amantes ſui, non bonorum modò quæ nec mundana nec vana ſunt, faciat participes; ſed & regni, quod à patre Maximum accepit, faciat conſortes. Videre hic videor Angelorum choros, Poteſtatum thronos, Martyrum purpuram, candorem confeſſorum, Virginum agminá, Matronarum cætum. Inter has Diuam Annam materteram tuam, cum Diuis Catharinis Matre & Filia tua, Regi cælitum IESV CHRISTO, ita famulantem, vt conditionem ſeruiendi plane regiam, cum totius terrarum orbis, quam longè lateq; patet, imperio non ſit commutatura. Animi inops eſt, non Anima beata: qui terram celo, terræ quiſquilias, bonis celi & bonis & æternis anteponit. Quod viuere videam, quam mortuam, opinione vulgi ductus, paullò antè vobiſcum luge-

bam,

bam, hanc nunc, ſecundum DEVM, inter pias animas vota nuncupari poſſe reor: tantùm abeſt ut plorem beatum. Nec ita doleo, quod mortale erat, vnde hauſtum eſt eò ferri naturâ & niſi amens mihi repugnat nemo. Vt gaudeo in te Potentiſsime Rex reminiſcere. Quemadmodum enim ſucciſa germina, à ſtolone renaſcuntur ſæpe; ita tot Regum, ac Principum, quæ familiæ interciderunt, DEO fouente ac fauente in S. R. M. Tua germinant atq; refloreſcunt. Sic nos tua Virtus, tua fortuna nos conſolatur, in Apotheoſi, non dico, exequijs Materteræ tuæ Diuæ Annæ: qui deſiderio Reginæ memorabilis & recordatione humanæ conditionis, te venimus conſolaturi.

Ite licet.

Soli Deo liberatori gloria.

ANTIPEPON-
THOS POLONIAE.

AVCTORE
IACOBO TYPOTIO.

Halæ Saxonum,

TYPIS PAVLI GREBERI,
ANNO M. D. XCVIII.

SERENISSIMO AC PO-
TENTISSIMO REGI, PRINCIPI AC
DOMINO D. SIGISMVNDO, DEI GRATIA
Regi Suecorum, Gothorum, VVandalorum, Magno
Principi Finlandiæ, Careliæ, Selnuthiæ Rutheno-
rum, Esthonum in Livonia Duci &c: Nec non Regi
Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Rusiæ, Borussiæ,
Massoviæ Samogethiæ &c: Domino Livoniæ,
Domino suo clementissimo.

Iacobus Typotius.

QVid sit ἀντιπεπονθὸς, nec Sa. R. M. V. ignorat; & Aristoteles Ethicorum ϛ. Euclides lib: 6; Element: declarat. Talionis quid simile est, ut non abs re nomen Græcum, Filia tibi nata, & quasi in locum materteræ, quæ vitâ mortali defuncta fungitur immortali, suffecta divinitus, videar mihi vsurpasse. tametsi non in natali Filiæ tuæ, moderatio Dei, qui vagas semper hominum res temperat, conspicua est magis, quam in vitæ tuæ æquabili temperamento, & utriusq; regni justâ ac sagaci gubernatione. Quemadmodum enim Gemini, desperatis rebus, procelloso in mari spem afferunt: ita nullus fuit tàm dubius rerum tuarum status, ut te unus DEVS non in portum reveheret, & ad majorem reveheret dignitatem. Hæc mihi caussa est, ut non statim à natalibus Filiæ tuæ dicere incipiam. Quicquid dico, id gratum velim Sæ. R. M. V. & spero à tanta clementia. Nam à grato animo & fingere nescio, at Sæ. R. M. V. dedito proficiscitur. Deus felicitet Sm. R. M. V. Holmiæ. Anno Christi 1597. Prid: Kal: Novemb.

ANTI-

ANTIPEPONTHOS, POLONIAE.

SI quod regnum est, in terris felix, ac fortunatum, Serenissime ac Potentissime Rex, id tuum Poloniæ regnum est: quod circumstrepētibus undiq; bellorum ciuilium & externorum motibus, florens opibus, opulentum viris, viribus tranquillum est. Quàm tristis Hungariæ status! Sed quoniam ab hoste quatitur, non ciue petitur, stat. Tristior longè Christianorum facies est: qui mutuis vulneribus concidunt, pessum eunt, ac dilabuntur. Tantò scilicet bellum ciuile detestabilius est hostili; quantò perniciosius est bellum pace. Nec hic esset Vngariæ status miser herclè ac funestus: quota enim Hungariæ, amabo, pars, est Hungarorum? Si non irritati quondam, Legatis parum comiter habitis, sub Rege puero, essent Turcæ: si ad restinguendum commune incendium opes, opem & operam coniunxissent. Cùm violatur jus Gentium, fœdera confunduntur, & ne quid summæ malorum desit, Principes ruina partium, non firmant, sed enervant Remp. accersiturq; contra socios, amicos, ciues, quæ extrema regnorum ac ciuitatum calamitas est, trux & barbarus perduellis, in bello externo domesticum oritur, & qui erant hactenus præsidio socijs, formidini hostibus, tutelæ Christianis deniq;, Hungari; ceperunt ludibrio esse, rapinæ, & lanienæ, tæterrimo ac despecto antè Turcarum Tyranno. Hæc audiunt Christiani, & audent in mutuam perniciem consilia & arma cudere, nec quorum calamitatem horrent, amentiam Hungarorum aversantur. Tu, quæ tua Prudentia est, Magnanime Rex, pacem colis: tu, quæ tua moderatio est, Optime Rex, concordiam foves: nec pateris quidquā domi aut foris leviter novari. Sequitur itaq; fortuna virtutem tuam: & omnia tibi divinitus eveniunt optata: nec est, qui se tibi hactenus objecit impunè. Ita est prudens moderatio tua: fors fortuna Imperij tui: nec potest esse absq; caussâ luculentâ & gravi in tantâ aliorum miseriâ, & tumultu, ea quies & felicitas gubernationis tuæ. Quis populos ad arma natos, in pace contineret inter arma? Quis inter Gentes amictū lingua moribus & religione differentes, amicitiam societatemq; retineret? Præter te Rex Regum Maxime video neminem. Turca quidem domi concordiam servat, sed vi, quæ diuturna esse non potest. Idem conatur Hispanus; sed metu suppliciorum, propter quæ, desijt tandem metui. Nec aliud Angliæ Regina somniat: consultò enim abs Anglia transfert pestim; sed nec extra pestim, si idem hostis saperet, & compositis domi rebus Angliam peteret. Galli nihil minus videntur expetere, quàm concordiam. Italiæ

Principes bellum intestinum coquunt. & minor jam jam non ebullire. Ita pereundi perdendiq; omnia, privatorum cupiditas, aulæ subdit faces. Atq; hæc domestica omnium labes est. Foris verò quàm sunt cupidi? immoderati? effrenes? & nihil minus pleriq;, quàm qui dicuntur? Nemo certè est, qui non libenter, si queat, in alienam possessionem involet: & non desunt Thrasymachi, qui hoc jus belli & regium & justum autument. Quantum igitur potest; tantum licere sibi quisq; existimat, opinione prorsus vana, & inhumana. Tu solus ferè, ô Rex verè Rex, non vi, non metu, non artibus callidis, non captiosis consilijs; at his multò firmiori & salubriori benevolentia, parentium animos obstrictos tibi tenes. atq; inter sese, & cum vicinis æquissimo juris fœdere sociatos: nec alieni appetens, nec tui negligens. Nulla igitur, te rerum potito, regnis tuis adversitas evenit. quid, adversitas, dico? Omnia prospera, læta, & spe meliora acciderunt. Bellum Turcicum exstinctum est pænè, antequam ortum: Moschicum tandem positum, & patriæ tuæ optata magis quam sperata quies reddita. cujus consilio? tuo: cujus voluntate? tuâ. In hujus gloriæ omnino regiæ communionem Fortuna non venit, quæ maximam campi, imò & fori laudem decerpit. Tibi Suecia, tibi Polonia, pacem debet? & quæ pacem sequuntur, commoda, utrumq; Regnum

debet omnia. Quemadmodum naviculator, in tempestate navim servat: dùm modò cedit. modò utitur ventis; ita tu prudenter inter inquieta hostium & civium ingenia, veluti inter sævas procellas, Remp. tueris ac temperas, & pacatis uteris ad Imperij tranquillitatem. Quod quidem per Deum licet, laudes tibi semper debitas tribuo. Tecum, quæ Dei sunt, ut tanta Majestas postulat, non incommodè, pietatis tuo studio, cum Dei encomio, breviter relaturus: quod dum facio, Poloni, favore ferar vestro: ut ut nonnulli obganniant, & conatis nequidquam opponant se imbelles meis. Quemadmodum enim generosior equus, & domini plausu & spectantium admirationem, ad palmam incitatus, catellos passim allatrantes altùm despicit, & contemtim præter vehitur; ita ego nugas istas, absit verbo invidia quæ jam quoq; Regi & Reginæ graves sunt, planè contemno, Regis clementiâ & vestrâ benevolentiâ fretus. Quamobrem ad ea, quæ Dei sunt, revertamur, viri fortes. Nam vortet si Fortuna vices, cadent illi, ego sub auspicijs ac signis vestris S. R. M. triumphum ducam, & opima spolia, DEO, qui me contra rabiem canum Palatinorum acriter defendit, ex voto, piè consecrabo. Mortua non ita nuper est beata Regina Anna Iagellonia: si tamen mortua quæ beata est:

& ego vobiſcum morem ſecutus vulgi, ita mortem luxi; ut ſaniorum judicio animæ à corporis commercio ſeparatæ, æternam felicitatem gratularer. Doluit tamen Rex, quæ humanitas Regalis animi eſt, abſentiam, ſi non mortem materteræ, aut verius matris. Ita redamabat amantem ſui, & deſiderio abſentis (quanquam non abſit, quæ Agnum ſequitur, quocunq; ierit) non poteſt non commoveri. Eadem erat totius Regni Poloniæ affectio. nec enim Regina, ſed Matre Patria orbata eſt, & conſumtis Lacrymis in animos memores infuſus hærebat dolor, qui eò acerbior obſidet cor, quò minùs in illas effluit. Noluit Deus immortalis (ad Dei gloriam & miſerationem venio) languore confici Regem optimum, noluit in luctu diutius jacere florentiſsimum regnum. Nata igitur eſt Regi pio, ex Reginâ piâ, quæ & matris & materteræ deſiderium leniat, Filia: nec absq; Dei providentia, qui regale genus inſtaurat, nata eſt. Quid gemis potentiſsime Rex? quid ſuſpiratis Viri ſtrenui? Suecia profectò ad nuncium lætiſsimum Filiæ Regi natæ, ita gaudio exilijt, ut ſedibus pænè mota ſit: & niſi gravior vis coerceret, coràm eſſet, Regi alacritatem declaratura. Tu verò Sereniſse. Rex quid mœres? triſtaris? gemis? morte eius, quæ vivit? cur non potius natalia Filiæ tuæ, quæ non erat, inducunt animi mærorem? triſticiam leniunt? gemitum tollunt?

tollunt? Eadem conſolatio ad vos pertinet, Poloni. Nam Regum liberi, non ita Regibus, ut Regnis naſcuntur. Sed cum Patre mihi, imò vobis res eſt: placato enim Rege ſubſidunt populi curæ: & ſublato juſticio, frontem exporrigit Reſp. univerſa. Enixa tibi filiam eſt conjunx tua: quam tu ſapienter ex gente, qua nulla eſt clarior genere aut factis, Auſtriacâ legiſti: qua nulla eſt aut virtute melior, aut pietate ſanctior. & quidem enixa tibi Rex, cuius virtutes facilius eſt mirari quam æmulari. Hoc civibus tuis refero, non uti placeam tibi, ſed ut te placem, & ab intuitu Materteræ ad complexum Filiolæ convertam. Nam quid vivam vis? quæ Diva? & quoniam Diva; viva? ac longè vivaciori quidem vitâ, quam hæc mortalis eſt, nec cum illa immortali ullo modo comparanda? Vivit Diva Anna & æternùm vivet DEO æterno. Non eſt quod queraris abſentem: quæ cum Rege cælitum ubiq; eſt: & ſi mentis lumen intendas, videris præſentem. Vxor certè tua, & quotquot ſalutatum veniunt, cum Matre prolem, oculis etiam vident, Materteram tuam imò & Matrem in generosâ Filiâ renaſcentem. Quid igitur? antiquone nomen aut memoriam Divæ Annæ? Avertat DEVS præpotens & immortalis, ad cujus laudem & gloriam, non parum faciunt Animæ piæ & beatæ. Sed nolunt viri pij & litterati, meminiſſe te Piæ Animæ,

 cum

cum cruciatu Animi tui. Vult Deus servari memoriam tantæ virtutis: cui tutelam regni, Polonia credidit. ut tu non lugeas, sed fidas auxilio Materteræ tuæ; quæ ut antè conciliavit tibi Ordines Poloniæ, ita nunc tibi propitios quidem, benigniores reddit superos: atq; inprimis Regem Superûm, Hominum Præsidem IESVM CHRISTVM. Nec tantum vult servari Deus memoriam inclytæ Reginæ, tuâ, sed & regni tui caussâ: ut hac tempestate, qua nulla ætas fuit feracior vitiorum, quæ in oculis hæret, habeamus novum exemplum priscæ virtutis. Quare, si cui decretum est, celebrare tanti nominis indelebilem memoriam: imitando celebret, non plorando. Hæc tibi dicta non sunto, Pie Rex, qui laudandus es non admonendus. & excurrerem profectò in lætam segetem: nisi si eorum contagia devitarem, qui cum tibi apertè blandiuntur, tectè insidiantur, Nam cujus gratia institutus hic est sermo, Filia, si non à parentibus, laudari quî potest? Non me fugit, quanquam diutius sim in aulâ, quàm Academia versatus, discrimen bonorum, in natura, usu observatum. Sed si quid fætus in lucem primùm editus habet præclari, secundum DEVM, qui princeps caussa est omnis boni (est enim summum bonum) clarum est, id parentibus deberi universum. Qua de caussâ Deus, cum

cum Deitas suæ justissima observantia honorem & obædientiam parentum conjungit pænè, subjungit certè. Et quis me jure criminetur si de te, & consorte regni tui, pauca pro re dixero? Peperit hæc filiam tibi jam tertiam: & numerum Gratiarum, hac ætate æquat. ut de Filio taceam, de quo nulla tacebunt secula. in tantum Heroem crescit. & nos de Principe Vladislao, nec indigna, si Deus volet, Principe, nec Parentibus ingrata, commentabimur, quando id res poscet: nunc aliud nobis propositum est. DEVS tibi cum conjuge progeniem sospitet. Aut me omnia fallunt, aut fæcunda, in quid humanitus intervenerit, conjunx liberalius te sobole beabit: quàm Casimirum Iagellonis filium, prole auxit, Elizabetha Alberti Cæsaris Filia, sex Filiorum, totidem Filiarum mater: quorum fortunam & virtutem commemorandi alia alibi fuit mihi occasio. Inter quatuor Reges Sigismundus I. magnum nomen & omen, in lucem & regnum Poloniæ intulit. Tu avi paterni ita gressus carpis, ne dicam, antevertis; ut avi materni & avunculi, non tàm nomen quàm virtutem referas. imò superes atque excedas. Cujus enim, non quæro in ditione tuâ? sed Europâ? in orbe reliquo? ea lenitas fuit in victoria? ea modestia in regiâ potestate? ea denique temperies blandiente fortunâ? Efferavit animum Alexandri Magni, rerum

rerum successus. Pronus in obsequium Avi filius Germanici, si non imperasset, optimi patris similior, quam sui poterat videri. Non solum reges, sed & regna ac civitates blandior fortuna labefactat. Et non asseram sine offensâ majorum, virtute te & constanti laudabilis vitæ instituto, majoribus antecellere? Ego quidem eò lubentius assero, & ut sempiternæ laudi tibi sit assertio mea, vehementer opto: quo plures notatum est, à Parentibus degenerare liberos, præsertim Heroum: ut vetus verbum in re novâ usurpem. & pace circumfusæ, uti sperandum, coronæ huius (quid enim non pollicear mihi à tanta humanitate? usurpo. Nihil detraho placabilitati Sigismundi Augusti. Nihil gloriæ Sigismundi I. derogo. Iagellonem priscis Heroibus æquare soleo & debeo. Loquarne? an sileam de affinitate? Triumphos Regum vestrorum & bella non tripudia aut nuptias: tubam non lyram: sonitum armorum non pedum: stratas acies, non lectos aut mensas: cæsos hostes non victimas: fusum sanguinem non vinum aut violas: sparsa tela, non nuces, videre animus gestit. Novi animos magnos. Me quoq; spectare juvat Moschos repressos, Livonas deditos, Borussos pacatos, Tartaros abjectos, Turcas deniq; castris sæpe exutos acieq; profligatos. Non enim hæc Poloniæ tantum decora sunt; at victoria regum vestrorum, saluti fuit duris

tempo-

temporibus, atq; monumento toti Reip: Christianæ. Longius profectò multò profecta esset Barbarorum effrænata licentia: si non vi vis fracta foret; & veræ virtuti temeraria cessisset audacia. Animadvertitis me non tantum spectatorem; sed & præconem rerum à vobis & Regibus vestris impigrè gestarum, Poloni. Quod non omnes nominem, consilio hoc quodam facio. non propter nomen, quod oppido resonans ac clarum est, sed omen. & dum occino vobis grata atq; fortunata: caveo, ne sinistra & scæna. Verum enimverò Vladislaò Hungariæ Regi fortuna, quæ raro est bona, semper fuerit bona. Fuerit Alexandro Poloniæ Regi diuturnior vita: cujus quantumvis longæ, extremum est Mors: ut Iagello Poloniam dotalem pæne accepit; ita Vladislaus, comitate Vxoris, ad regnum Hungariæ ascendit. Virtute regnum uterq; firmavit. Audio & viros Reginis suis Primores utriusq; regni quærebant: non fucum, qui in regiâ fortunâ animum gerat servilem. Alexander ducta filia Moschorum Principis ex Palæologâ non solum Moschos & Palæologos, verum etiam qui his successerunt. Turcas sibi conjunxit, atq; maritavit. Quamobrem Hymenæum cum Pæane nihil vetat conjungere: sonantior hic illo est sonus, at sine quo non esset sonus. Principium vitæ uniuscujusq; nostrûm est connubium. & Avias minus quam Avos prædica-

D bo?

bo? cùm Austriacum sit & Aragonium, maternum genus? Hoc quidem nihil in terris regalius: nihil illo in regnis augustius est, ut non minus clara sit, Regum clarissime, materna quam paterna stirpe mater tua. Quid de Patre tuo dicam aut avo Gothorum regibus? Si omnia dixero, quæ laudem merentur: ne minimam quidem laudis meritæ partem attigero. Tantò gravior est rerum copia, pondere verborum. Non elevo magnum & invictum animum fortissimi Regum Patris tui: non Avi Regum Prudentissimi gloriam extenuo: non occulto pietatem Erici inter majores tuos ex regno Sueciæ in cælum redacti. In nuptijs Sororis tuæ atq; Amitæ Gothos è Suecia egressos ostendam: à quibus Carolus V. Imperator ortum se jactabat: quibus Reges & Principes Christiani ac Barbari imperium, illi etiam genus debent. ut productis testimonijs & allatis argumentis (clemens annuat votis Deus) inter ritus nuptiales, luce clarius declarabo. Tantum abest, ut majorum tuorum factis illustribus tenebras offundam, dum te optimis majoribus comperio meliorem. Nec tu luminibus tuorum obstruis: cum omnes in virtute & magnanimitate veluti in lucidissimo spectro colluceant, & in te, quo meliori modo possunt, læti reviviscant. In te igitur cum intuentur, & tui, & majorum tuorum studiosi: ita sollers erat Gustavus Sueciæ Rex: ita

ita Pius Iagello Poloniæ Rex, ajunt. Si tamen ita sollers ille, aut hic ita pius. Vix tantum erat pacis studium in Sigismundo II. Poloniæ Rege: Patrem medius fidius fortuna superat: Pietate æquales excedit: Priscis Heroibus non cedit virtute. Hæc sunt hominum judicia de te: hi sermones vulgi: hæc prudentium censura. Et in hominum prudentium faventiumq; egregiæ, regiæ virtuti tuæ, sententiam, si ad nos redirent, majores tui ambobus pedibus transirent. Quid enim dulcius parentibus verâ laude liberorum? Nunc taciti comprobant, cum ex sublimi illa speculâ, regiones & regna ratione non per lubidinem regere te contuentur. Elisabetha Imp. Alberti filia, Casimiri Regis Poloniæ conjunx peperit in numerosâ & generosâ prole Sigismundum I. ut dixi, & mihi copiam de te & tuis uberius dicendi peperit. Præteribone tacitus Annam, uxorem tuam Reginam nostram, Elizabethæ gentilem? Nominavi quidem antè, sed non honoravi. Non ero in puerperam injurius, præsertim cum hujus caussa, illius commodè invecta sit mentio. Patre Austriaca est. Dicebam, addo, Matre Bavara est. Quod nemo ignorat, repeto. Referam igitur, & quod nemo nescit, utramq; gentem non victorijs tantùm & principatu insignem; sed & Imperatoria Majestate decoratam. Hac ingenti gentilium gloria, major est Reginæ animus. & tanquam ex se

 nata

nata ſua virtute laudem parit : ut jam nihil minus in regina laudabile ſit, quam laudabile decus, & generoſum genus majorum. Vereor ne cui hæc oratio, non ad gloriam Filiolæ comparata ſit; ſed ad captandum Parentum benevolentiam concinnata videatur. Male : quid enim in infante jam in lucem edita laudaverit alius aliud ? quam genus ? In regia familia nata eſt : debet parentibus : liberali forma eſt, debet Parentibus. Parentes Deo. In magnam ſpem & dignam majoribus tollitur. debet parentibus. Cum omnia debeat parentibus ; non absq; gravi cauſsâ, natali ejus & feſto die parentes laudavi. Et ſi ex ſtirpe de propagine licet divinare ; magno alicui in terris Regi fida conjunx, ter maximo Cœli & terrarum Regi, ſerva frugi nata eſt : nec deſciſcet ab eo, in cujus verba hodie, ſacramento adacta eſt. Hæc ſpes mærorē parentum, noſtrumq; mitiget : & nos cum illis rapiat, quo nullum omen felicius eſt, in laudationem nominis Divini.

Te Deum laudamus.